



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Petri Danielis Huetii Demonstratio Evangelica

Huet, Pierre Daniel

Parisiis, 1679

Caput septuagesimum tertium. Jesus vita.

urn:nbn:de:hbz:466:1-16260

veritatis; in me omnis spes vite & virtutis.

2. Cor. 1. 20. Quotquot enim promissiones Dei sunt, in illo Est, ideo & per ipsum Amen Deo ad gloriam nostram.

1. Joh. 5. 6. Et spiritus est, qui testificatur, quoniam Christus est veritas.

CAPUT LXXIII.

Jesús vita.

DEUT. 30. 20. Elige ergo vitam, ut & tu vivas, & semen tuum, & diligas Dominum Deum tuum, atque obedias voci ejus, & illi adhaereas: ipse est enim vita tua, & longitudo dierum tuorum.

Psal. 35. 10. Quoniam apud te est fons vita, & in lumine tuo videbimus lumen.

Prov. 8. 35. Qui me invenerit, inveniet vitam, & hauriet salutem à Domino.

Eccli. 4. 12, & seq. Sapientia filiiis suis vitam inspirat, & suscipit inquirentes se, & praebit in via justitia: & qui illam diligit, diligit vitam: & qui vigilarint ad illam, completentur placorem ejus. Qui tenuerint illam, vitam hereditabunt.

Eccli. 24. 16. Scientia sapientis tanquam inundatio abundabit, & consilium illius sicut fons vita permanet.

Isa. 25. 7, & seq. Et praecipitabit in monte isto faciem vinculi colligati super omnes populos, & telam quam orditus est super omnes nationes. Praecipitabit mortem in sempiternum, & auferet Dominus Deus lacrymam ab omni facie, & opprobrium populi sui auferet de universa terra, quia Dominus locutus est. Et dicet in die illa, Ecce Deus noster iste; expectavimus eum, & salvavit nos: iste Dominus, sustinuit eum; exultabimus, & letabimur in salutari ejus: quia requiescet manus Domini in monte isto.

JOH. 1. 4. In ipso vita erat, & vita erat lux hominum.

Joh. 6. 35, 48, 49. Dixit autem eis Jesus, Ego sum panis vita. . . . Patres vestri manducaverunt manna in deserto, & mortui sunt: hic est panis de caelo descendens, ut si quis ex ipso manducaverit, non moriatur.

Joh. 11. 25, 26. Dixit ei Jesus, Ego sum resurrectio & vita: qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, vivet; & omnis qui vivit, & credit in me, non morietur in aeternum.

Joh. 14. 6. Dicit ei Jesus, Ego sum via, veritas, & vita.

Act. 3. 15. Auctorem vero vite interfecistis, quem Deus suscitavit à mortuis, cujus testes sumus.

Rom. 6. 11. Ita & vos existimate, vos mortuos quidem esse peccato, viventes autem Deo in Christo Domino nostro.

1. Cor. 15. 22. Et sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes vivificabuntur.

Gal. 2. 20. Vivo autem jam non ego, vivit vero in me Christus. Quod autem non vivo in carne, in fide vivo Filii Dei.

Phil. 1. 10. Mihi enim vivere Christus est, & mori lucrum.

Col. 3. 3, 4. Mortui enim estis, & vita vestra est abscondita cum Christo in Deo. Cum Christus apparuerit vita vestra, tunc & vos apparebitis cum ipso in gloria.

Ebr. 2. 14. Quia ergo pueri communicaverunt carni & sanguini, & ipse similiter participavit eisdem, ut per mortem destrueret eum qui habebat mortis imperium, id est Diabolum.

1. Joh. 1. 2. Vita manifestata est, & vidimus, & testamur, & annuntiamus vobis vitam aeternam, qua erat apud Patrem, & apparuit nobis.

1. Joh. 5. 11, & seq. Et hoc est testimonium, quoniam vitam aeternam dedit nobis Deus: & haec vita in Filio ejus est. Qui habet Filium, habet vitam: qui non habet Filium, vitam non habet. Haec scribo vobis, ut sciatis quoniam vitam habetis aeternam, qui creditis in nomine Filii Dei.